

BARTHOLDI HENRICI LULOFS,

(JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS, IN ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM, QUI GRONINGAE EST, PROFESSORIS ORDINARII),

ORATIO

DE ELOQUENTIAE EXTERIORIS, QUAM VOCANT, INTERIORISQUE CONSENSU, SIVE, UT *QUINCTILIANUS* SIGNIFICAT, DE PRONUNTIATIONIS SEU ACTIONIS RATIONE, NON ALIA ATQUE IPSIUS ORATIONIS.

Actio in dicendo una dominatur.
Cicero.





GRONINGAE,
Apud W. van BOEKEREN.
1839.

L. S.

Orationem, typis heic exscriptam, aliquam partem *habui, cum Rector Universitatis Groninganae Magnificus, paucas abhinc hebdomades Magistratum huncce Academicum deponerem. Annalibus itaque Academicis pro more solito inseretur illa. Neque tamen hoc obstare duxi, quin eam prius separatim hic ederem, quo, ad quos fortasse hi non pervenirent Annales, iis occasio daretur Orationis, quantula etiam cunque sit, inspiciendae ejusque, si quid ipsis ferret animus, perlustrandae atque legendae. In primis vero tali hoc feci proposito, ut, studiosi juvenes, discipuli mei carissimi, libellum, ex quo manibus versando forte aliquantum utilitatis perciperent, ad quemque in praelectionibus meis nonnunquam rediturus essem, sibi comparare eo facilius valerent. — Praetermittenda nihilo minus hic sum ratus, quae de Academiae nostrae fatis in Orationis fine percensueram, utpote qua-*

rum rerum haud exiguam partem Lectorum vulgo minoris esse momenti haberem. Quae tunc temporis a me dicta sunt, ea posthac legere qui cupiat, is Academicos evolverit Annales, quibus legis ex praescripto continebuntur. — Vale tibi dico, benevole Lector, mihique, precor, favere pergas! (*)

Scribebam Groningae, *die* 15 *Novembris* 1839.

B. H. LULOFS.

(*) *Si qua hic illic irrepserint vitia typographica, v. c. pag.* 36 *in fine* pronuntiandae *pro* pronuntianda; *pag.* 25 *in fine, ubi pro* significantis *legendum est* significante; *pag.* 13, *ubi post* quotusquisque *omissum est signum interrogandi, etc. etc. haec a Lectoribus, quae ipsorum, ut spero, est humanitas, emendentur optem. Vocabulum* » aptitudo," *quod pag.* 9 *occurrit nulliusque probae est Latinitatis, mutetur in* » habilitas." *Pro* » boatu," (*pag.* 10) *quod apud aureae aetatis scriptores insolentius videatur, multo usitatius amem meliorisque notae* » mugitu." *Bis terve deleatur* nempe, *Belgicismum olens. In quae fortasse alia ejusdem farraginis menda, utcunque pro virili industrius ea evitare conatus sim, te impegeris, Lector, tu, quaeso, ea eadem similive ratione correxeris, reputaverisque tecum, quod in Orationis exordio de me ipso, Belgicarum, non Latinarum Professore literarum, monui. Haec hactenus! Caeterum in Grammatica Latina, uti in vernacula, nonnulla aliquanto fluctuantiora fere crediderim. Sic v. c., (risum teneatis!) crux mihi remansit, Orationis initio, cum de Demosthene sermo esset, dicendumne mihi fuisset* interrogaretur, *an* interrogatus esset. *Prius feci. Erraverim forte. Forsitan utrumque probabile. Litem dirimant doctiores, qui minutias ejusmodi Grammaticas non prorsus flocci pendant, neque pro syllabarum venationibus habeant quisquiliisque. Mihi, qui ingenue hoc fatear, in deliciis sunt, nec scio, an quidquam fere nihil iis praeferam. Quod Studiosis juvenibus, qui talia nimio saepius negligant, serio dictum esto!*

Maximam vim, plurimum efficacitatis ad hominum animos inesse Actioni seu Pronuntiationi, sive Exteriori, quam vocant, Eloquentiae, ecquis vestrum est, Auditores exoptatissimi, quin cernat, atque qui non lubens id fateatur? — »Actio" inquit CICERO: »in dicendo una dominatur. Sine hac summus Orator esse in numero nullo potest, mediocris, hac instructus, summos saepe superare." — Neque totius non percrebruit Antiquitatis ore illud a DEMOSTHENE dictum. Qui rogatus, quid ipsi primas in Eloquentia tenere videretur, respondit: Actio. Et ubi deinde ex eo quaererent, quid secundas, Actionem iterum responso dedit. Quin, cum tertium idem ille interrogaretur, cuinam tandem rei tertias tribueret, et vel tum Actionis nomen usurpavit, hoc ter repetito vocabulo significare cupiens, quanti illum quasi corporis sermonem, uti CICERO Actionem vocavit, in arte dicendi faceret.

Quae si principis in oratoribus Graecis sententia habere quid videatur, quod omnino modum excedat, nostris praecipue temporibus, quae haud scio, an scribendo plus tribuant, quam loquendo, anque ignorent veterum illarum concionum fluctus atque tempestates, in quae orator Graecus Romanusve, JOVIS instar tonantis, tonanti voce, altoque de suggestu, eloquentiae fulmina vibraret, nemo tamen prudens dicendi existimator negaverit, Pronuntiationi sive Actioni, etiamsi non primum, at non infimum locum in Eloquentia cedendum esse. Quotus enim quisque est, quin saepenumero viderit, quantum ex gr. in orationibus sacris vox, et vultus, et motus ad laudes valerent, ita ut vel haec ipsa, quae minus acute inventa atque disposita, verbisque sordidius vestita viderentur, dummodo bene pronuntiarentur, quibus, nescio, admirationibus, quo stupore, nescio, audientium animos percellerent. Ne quis vestrum igitur miretur, Auditores, me, qui Magistratum Academicum oratione depositurus sim, nonnulla de Eloquentia exteriore attingere levi velle digito, idque *de consensu hanc inter et Eloquentiam interiorem*, *sive*, ut QUINCTILIANUS significat, *de Pronuntiationis seu Actionis ratione, non alia atque ipsius*

Orationis. Qui si locus vobis aut levior quodammodo et futilior, aut aliquanto jejunior aridiorque videatur, hoc argumenti habeatis velim mihi eligendum fuisse, quod neque a mea docendi provincia remotius, neque virium mearum tenuitati minus accommodatum esset. Quo quisque enim viribus tenuiorem se sentit, eo prudentior sit in onere non suscipiendo, quod ferre ipsius humeri fortasse recusaverint; eo magis ipsi opus est Auditorum indulgentiam sibi efflagitare. Quae hic etiam de orationis meae Latinitate dicta sunto. Licet enim nullus inficias iverim, me, tanto doctorum hominum conventu atque frequentia dicturum, in elaboranda stili bonitate aliquid operae posuisse, neque negaverim ego, exemplaria Latina hocce anno non per unum diem noctemque assidua manu a me fuisse versata, quid tamen boni, quid praeclari ex hac lucubrationum fuligine bibenda mihimet acciderit, homini, qui quatuor et viginti abhinc annos cuncta fere Belgico sermone conscribere solitus, Latine eloqui, Latine pronuntiare fortasse dediscerem? In bonam proinde partem accipiatis, Auditores, ea, quae vobis hic illic duriuscule dicta, neque genuino atque sincero Latinitatis colore tincta esse videantur, vosque mihi, in hac mea quasi infan-

tia, in tantoque simul luctu propter Collegae conjunctissimi obitum, non judices severos, rugosaeque frontis, verum auditores attentos, benevolos, atque dociles, quae vestra est humanitas, praebere velitis!

Paucula mihi sunt praemonenda. Ubi significo, me de consensu Eloquentiae exterioris et interioris dicturum esse, hoc, quaeso, non sic accipiatis, ac si mihi animus sit plus quam sparsas quasdam hac de re proponere observatiunculas. Universam enim illam materiam tractare et ex intimis ipsius visceribus quasi eruere non duarum horularum, sed totius diei opus foret. Quod autem ad vocabula *Eloquentiae exterioris et interioris* attinet, quae orationi meae inscripsi, scio equidem, Eloquentiam, làtius sic dictam, nunquam non corporis Eloquentiam, sive *exteriorem* illam, quae dicitur, una complecti. Neque tamen ideo ineptiorem illam nuncupaverim partitionem, quam nonnulli viri docti inter duas hasce fecerunt Eloquentiae species. In Eloquentia quippe, sensu generaliori sumta, *Inventio*, *Dispositio* et *Elocutio*, quales Rhetoribus audiunt, difficilius se-

parantur, et, si accuratius loquimur, unam tantum prioremque et quasi interiorem illius partem sive speciem constituunt. Nihil autem obstat, quo minus *Pronuntiationem sive Actionem*, seu declamandi rationem, alteram, a priori illa distinctam eamque exteriorem, i. e. sub oculos atque aures magis cadentem, Eloquentiae speciem nominemus. Nonne enim quispiam in scribendo, hoc est, in *inveniendo*, *disponendo* et *eloquendo*, facundissimus esse potest, qui tamen, propter corporis quoddam vitium, ea, quae elegantissime composuerit, neutiquam ore rotundo et suavi possit efferre, quique idcirco in Actione nihil excellat? Nonne e duobus unam eandemque orationem alter scribere, alter pronuntiare et agere potest? — *Actionem*, inquam. Hac enim in primis voce a CICERONE Eloquentia illa exterior, (pronuntiationem intelligo et gestuum moderationem) designatur. *Agere* TULLIO, nec non summo illi apud Romanos dicendi magistro, MARCO FABIO QUINCTILIANO, est cum gestibus pronuntiare, sive quod hodie usitatius *declamare* seu *recitare* appellamus; unde in recentioribus Europae plerisque linguis Histriones, sive hi, qui in scena declamant, *Actores* audiunt. — Cui quidem *Actionis* sive *Pronuntiationis* vocabulo non male, ut spero,

Orationis nomen opposuerim. Etsi enim Latine *Oratio*, sensu latissimo accepta, quidquid dicitur significat, et (quandoquidem illud, quod dicitur, hoc idem pronuntiatur) *Pronuntiationem* itaque continere debet, sensu tamen arctiori, et ubi eam ab Actione, sive Pronuntiatione separamus, de *Elocutione* haud raro, sive de Stilo et dictione (latissime sumtis) usurpatur, i. e. de universa ratione, qua ea, quae a nobis, ut Veteres ajunt, primum *inventa* atque *disposita* sunt, verbis deinde exprimamus, et quasi vocabulorum induamus vestitu. Haec paucula habui, quae praedicerem. Rursus ad ipsam properemus orationis materiam.

Primum carptim quaedam attingamus de Eloquentiae exterioris et interioris consensu, quod ad ipsas attinet Oratoris et Declamatoris, uti vulgo dicuntur, personas. Quod instituturo monendum mihi in limine videtur, unicuique Pronuntiatori sive Actori suam esse, a caeteris distinctam vocem vocisque moderandae rationem, quemadmodum cuique Oratori, sive, ut planius dicam, Auctori seu Scriptori, suum peculiarem Stilum Aera tinnitu, homines sonis dignoscimus,

inquit QUINCTILIANUS, et licet vox humana, e tribus constans sonis, inflexo, acuto, gravi, haud multas, quae numerentur, contineat species, ita ut sit v. c. vel candida, vel fusca, vel plena, vel exilis, vel lenis, vel aspera, vel contracta, vel fusa, vel clara, vel obtusa, et quae id genus alia sint, hae tamen species apud singulos homines mirum in modum distinctae sunt, similesque humanae faciei differentiis, quae, etsi perpaucis ex partibus constat, infinitam tamen habet varietatem. Quae autem hic de voce dicta sunt, Auditores, eadem valent de toto corporis habitu, statu, incessu, motu. Nonne enim et haec apud diversos diversa? Ne multus sim: alia aliena vox, alius in alio vultus et gestuum moderatio; alia apud alium Oratio, alia apud alium Actio. — Neque necesse est, aliam alia Actionem propterea pejorem esse. Utcunque enim variant, aeque laudabiles esse possunt, laudandae vero in dispari genere, non secus v. c. ac Poetae et Pictores, qui, uti CICERO ait, in canendo saepe et pingendo dissimillimi sunt inter se, quamvis nihilominus par paene laus in illa dissimilitudine iis tribuatur.

Cui bono vero hae tritae observationes, quispiam vestrum, Auditores, fortasse rogaverit? Ut

inde, respondeo, hoc sequi colligatis, quam ridiculos ii sese praebeant, qui in agendo non ad boni cujusquam Declamatoris exemplum aliquantulum et quatenus naturalis ipsorum ratio id ferat, conformare sese studeant, (quod laudandum profecto) sed qui naturam quasi furca expellentes, omnem istius hominis, quem tanquam exemplar sibi proposuerint, vultum, voces atque motus servili prorsus imitatione effingere et ad unguem ejus in pronuntiando personam moresque induere conentur. Quod ego quidem imitatorum pecus non homines, sed simias agere dixerim, quamque rem appellem dignissimam, quae non minus quam si alius alius Stilum perfecta omnino similitudine assequi velit, ab omnibus, qui emunctae sint naris, exsibiletur.

Quis etenim, quaeso, Declamatorem toleret, qui jam a puero voce peracuta et aëra secanti instructus, illecebris vero vocis cujusdam fuscae et gravioris, quam in alio admiratus fuit, irretitus, nunc fauces strangulat, ut e gutture imos illos eruat sonos, quos ei denegavit natura? Autne e diverso talem minus ineptum vocaveritis, qui, voce praeditus depressa atque humillima, eam in altissimos et acutissimos intendere atque adeo torquere conetur

sonos, ne dicam clamores, tamque elatis uti velit modis, quibus vox fere rumpi periclitetur? Ut semel finiam, in Actione igitur pariter atque in Stilo aureum sit nobis praeceptum: naturae tuae convenienter agito!

Eandem, ut pergamus, Auditores, rationem Actionis atque Orationis in hoc conspicitis, quod ad utramque aptitudo quaedam requiritur naturalis, quae tamen haud parum arte et disciplina augeri, quid? cujus vel vicem ars aliquam partem obire potest. Reperiuntur profecto, stipitibus similiores quam hominibus, qui tam hebeti sint ingenio et obtuso, tam bardi, tam duri ad discendum, ut nullam unquam Stili bonitatem, quantulam etiam cunque, assequi possint. Sic item, quod ad Pronuntationem attinet, ille, qui fauces habet tumentes, aut rasas, vel convulsas fractisque organis similes, cui vox est aut pusilla, aut dura, aut rigida, aut praepinguis, qui ora gerit deformitate turpissima, oculos distortos, truncum corporis plane incurvum aut maxime gibbum, nae ille nunquam, certe difficillime, Actor exstiturus est, omnibus numeris absolutus. — Quin tanta corporis vitiosa atque rebellis natura esse potest, quae nulla omnino arte edomitetur. —

Num quid enim putatis, Auditores, surdo-mutos, imo vel tales, qui quam optime a nostratibus GUYOTIS instituti sint, bonos unquam fieri posse Actores, i. e. Pronuntiatores sive Declamatores? — Saltatores, sive qui recentioribus Pantomimi audiunt, hoc facile crediderim. In mutis, ait FABIUS, pro sermone non manus sunt solum, sed vultus, sed nutus. Atqui an unquam in aliquo numero hi erunt pronuntiantes? Ah miseros illos surdo-mutos, qui quos articulatos sonos, (i. e. litteras atque syllabas) infinito emittere addidicerint labore, hos non nisi horrendo e faucibus protrudere queant boatu, ululatuque tali, qui per aures strideat easque infringat atque divellat! —— In hoc igitur non tenaciter cum QUINCTILIANO consentimus, in faciendo sive in pronuntiando, aeque atque in scribendo, primas naturae esse tribuendas, sed (ut ejusdem Rhetoris utar verbis) illi persuasione sua fruantur, qui hominibus, ut sint egregii Oratores et Declamatores, satis putant nasci. Quae humus optimas producat fruges, non tantum suapte natura pinguis sit et fertilis, sed insuper laborari, aratro verti atque seminibus spargi debebit. Ecquidnam eum praeclarum unquam Scriptorem fore crediderítis, qui, etiamsi divinioris fere ingenii facultati-

bus, v. c. acumine intelligendi raro, judicii subacti acritate, vivida phantasia, facili memoria eademque promta atque tenaci, praeditus sit, nulla tamen disciplina has naturae dotes excoluerit, Rhetorum scholas non frequentaverit, artem grammaticam nunquam didicerit, largam verborum supellectilem et dicendi quasi silvam sibi nullus comparaverit, pulchritudinis sensum ad optimorum Poetarum atque Oratorum lumina non accenderit, Elocutionem sexcenties sub limam non revocaverit, aut hujus luxuriem stilo saepe vertendo non depaverit, autumatisne, inquam, ejusmodi hominem, ingenio praeclarum, arte vero rudem, Orationis suae elegantiis quemlibet lectorem, politissimum etiam, captaturum esse? — Nonne, uti CICERO dixit, vel perillustri naturae accedat necesse est ratio quaedam conformatioque doctrinae? Quod autem in Scriptore, qui ad summam perveniat laudem, urgentis est necessitatis, idemne illud in Pronuntiatore nullius erit momenti? Quid? Et apud hunc ars cum natura amice conspiret. Artis erit naturam expolire, illustrare, vocis v. c. bona augere atque conservare, quae obscurant Pronuntiationem discutere, sumere vero ea, quae eminentia sunt et prompta, quaeque insint Actioni vitia, quantum possit, corrigere. — Quid autem

potis sint ars et exercitatio ad vitia ejusmodi naturalia emendanda, vel interdum exstirpanda et funditus tollenda, nonne DEMOSTHENIS exemplo luculentissime patet? Qui vir summus, uti notissimum, cum animam sive spiritum haberet angustiorem, cum ne primam quidem litteram ipsius artis, cui studeret, recte posset pronuntiare, cum facilius concionum rumore exturbaretur atque clamoribus, cum humeros interdum jactaret, maxima contentione incredibilibusque artificiis haec naturae vitia ita correxit, ut, qui primus a populo Atheniensi explosus fuisset, nunc omnium omnino admirationibus plausibusque ad coelum extolleretur. Haec, haec, inquam, ille fecit DEMOSTHENES, quem eundem manû sua THUCYDIDIS libros de bello Peloponnesiaco octies descripsisse perhibent, quo melius dictionis Thucydideae vim atque nervos sibi in succum et sanguinem converteret. O nos recentioris aevi Pygmaeos, qui cum gigantibus illis Graecae Romanaeque Antiquitatis conferre nos ausimus! —

Ex iis autem, quae hic dixi, Auditores, nemo non videat, quod exercitationis requiratur, si quid probabiliter declamare velimus. Quotus enim quisque (nam libet rem exemplo illustrare, quod simul meae orationis ariditati flores aliquos aspergat) quo-

tus enim quisque est, qui, nulla praeparatus disciplina, sequentes ex VIRGILII *Georgicis* recte pronuntiet versus, in quibus cumulatissimus ille laudibus scribendi artifex ORPHEA canit, cum EURYDICE sua ex inferis redeuntem, verum, animo victum, carissimam illam conjugem denuo amittentem. Neque enim inscii estis, Auditores, hanc dixisse PLUTONEM ORPHEI conditionem, ne in EURYDICEN, quae pone sequeretur, oculos ante converteret, quam ambo in superam lucem rediissent; qua ab amantissimo Poeta violata lege, EURYDICE, proh dolor, Taenarias in fauces iterum detrusa fuit.

Jamque pedem referens, casus evaserat omnes,
  Redditaque EURYDICE superas veniebat ad auras,
Pone sequens — (namque hanc dederat PROSERPINA legem),
  Cum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes. —
  Restitit, — EURYDICENque suam, jam luce sub ipsa,
Immemor, heu! victusque animi, respexit. — Ibi omnis
  Effusus labor, atque immitis rupta Tyranni
Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis. —
  Illa, quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, ORPHEU!
Quis tantus furor? En iterum crudelia retro
  Fata vocant, conditque natantia lumina somnus!
Jamque vale! feror, ingenti circumdata nocte,
  Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!

Ecquis, quaeso, hosce versiculos bene, i. e. sexcenties melius quam ego hic quidem fecerim, pronuntiet, nisi cujusque vocabuli sensum atque vim antea ponderaverit, nisi animo cernat vividisque coloribus sibi depinxerit infelix illud par amantium, citato gressu in lucem properans, ORPHEA, eheu, ocius quam ut fas sit, respicientem, Avernum, horrendo fragore contremiscentem, EURYDICEN flentem, manus frustra tendentem, desperantem, atque tandem aeternas in tenebras de integro evanescentem? — Quamobrem ne reprehendatis me, Auditores, qui interdum his illisve discipulis subirascar, sine ulla praevia exercitatione manibusque quasi illotis ad declamandum hujus illiusve Oratoris vel Poetae locum illustriorem festinantibus, et nonnunquam audacius id sibi recitandum sumentibus, quod antea ne legerint quidem, nedum perlegerint atque edidicerint. Et nonne inde jure nobis etiam colligere licet, summum Actorem virum esse debere et ipsum non mediocris ingenii acumine praeditum, ita nempe, ut, etiamsi ipse poetae aut oratoris laudibus non floreat, sensu tamen poetico atque oratorio non plane sit destitutus? Quod mihi etiam in causa esse videtur, cur, teste jam CICERONE, clarorum

Histrionum numerus ex omni temporum memoria tam fuerit exiguus. Multi inter illos scilicet Clamatores, pauci Declamatores exstiterunt. Nolite enim putare, Auditores, vocem maximam et cujusdam quasi STENTORIS quae dicitur, fauces immanes, latera robustiora, totiusque corporis gladiatoriam quamdam firmitatem ad bene pronuntiandum sufficere! Accedat ingenium perspicax, accedat intimus animi sensus et pulchri amor, accedat memoria, accedant quotidie repetitae exercitationes, accedant — quid? primas teneant haec et centum alia. Ecquisnam, quaeso, SHAKESPEARII, VONDELII, RACINII, SCHILLERI aliorumque versus tragicos bene pronuntiaturus est, qui divinioris illos ingenii viros non penitus intellexerit? Quae intelligentia, quam paucis, eheu sit data, non est, quod longis verborum ambagibus persequi conemur.

Reapse docemur, Auditores, et ab omnibus praecipitur Rhetorices magistris, ut dicturi, semper nobiscum reputemus, qui simus, qui dicamus, quamobrem pro vario atque diverso Oratorum genere non minus varia et diversa scribendi sit ratio. Quis enim asse-

rendum sibi sumserit, Oratori sacro, sublimiores scriptorum divinorum locos tractanti, eodem utendum esse calamo, quem causarum nonnunquam adhibeat Patronus, cum in re humillima, de hoc illove stillicidio v. c., versatur? Aut quis in dicendi genere deliberativo, quod vocant, ubique dictionem amet, grandi et ornatae voci Poetae cujusdam tragici simillimam? Ut paucis rem absolvam, alia atque alia Oratoris sit Elocutio in demonstrativis, deliberativis et judicialibus, alia, denique in Oratione soluta, alia in hac, quae Poeseos numeris atque vinculis ligata est. Hoc autem praeceptum, Auditores, uti ad dicendum, i. e. scribendum, maximam sine dubio obtinet partem, nonne sic etiam plurimum habeat efficaciae ad agendum? Imo vero, pro diversa Oratoris persona, quam sustinet Declamator, diversa eadem sit illius in pronuntiando gestibusque moderandis ratio. Orator v. c. sacer in actione sua sit gravior, modestior, severior. Ne affectuum turbine abripi se patiatur; ne immodicae frena laxet concitationi; ne manuum artificia, ne digitorum persequatur argutias, ne crebriori utatur gestu. Quemadmodum in ejus Stilo, sic in ejus Pronuntiatione ardeant, ferveant quidem multa, sed ita, ut ardor semper gravitate

temperetur et pia quadam verecundia. Quod idem Oratori erit observandum, qui apud tribunalia dicit, etiamsi forte huic interdum incitatius, simulque asperius et contractius pronuntiandi genus concedamus, neque semper ille, tum in dicendo, tum in faciendo, i. e. declamando, ejusdem adstrictus sit legibus gravitatis, quam inter Praeconis divini virtutes palmariam et omnium caeterarum propemodum caput judicaverim. Uterque vero, et Divini verbi Minister, et causarum Patronus, quibus plerosque reliquos addatis Oratores, quidquid nimis scenicum sit, respuant. Non Comoedum esse, sed Oratorem volo, ait QUINCTILIANUS; neque minus egregie CICERO distinxit inter Oratores, quos nempe ipsos veritatis *actores*, et Histriones inter, quos ejusdem veritatis tantum *imitatores* appellaret. — Sicut igitur a magnifica et splendida Poetarum tragicorum elocutione imitanda sese abstineat ille, qui Prosa oratione aliquid conscribit, ita longe alia etiam sit agendi ratio in Theatris, quam in suggestibus Oratoriis. Histrioni seu Scenico v. c. licuerit satagere nonnunquam, et ambulare, et procurrere, et resilire, et in acutissimos erumpere sonos, et quasi furere atque bacchari, haeccine vero, Auditores, in eo, qui coram judice dicit,

aut orationem qui edit sacram, jure non reprehendetis? Sine dubio! Quo facetior mihi TULLIUS rabulam quemdam de foro, satis mobilem et inter disputandum hic illic discurrentem, subridens fertur rogasse, quot millia passuum declamasset. — Cui dicto non dissimile est illud CAJI JULII, ex CURIONE, qui causam agens toto corpore in utramque partem vacillaret, ironice quaerentis, num e lintre (sive navicula) loqueretur. Ardua satis autem quaestio est, quoad nobis Oratoribus, sive, ut generalius loquar, quantum seu quatenus nobis, extra scenam qui recitemus, concessum sit Histriones in agendo imitari; namque Oratorem horum ad exemplum aliquantulum componere se posse, et ex re scenica contemplanda, aeque atque ex Poetis tragicis et comicis legendis, fructum qualemcunque in eum redundaturum esse, quis vestrum non viderit? Sin minus videat, ecce, CICERONIS meminerit, ROSCII, qui, Scenicus, tunc temporis *Romae* clamores faciebat (*far furore* Itali recentiores dicunt) ROSCII, inquam, artificia plus semel futuro Oratori imitanda proponentis, hujusque viri, ipsi amicissimi, exemplo, tum ad Orationem, tum vel maxime ad Actionem, interdum sese tuentis. — In qua autem disquisitione mihi accuratius distinguen-

dum videtur diversi generis inter, qui declamant, Oratores. Nimirum et hic rursus perinde res est in Actione, ut in Stilo. Sicuti enim Stili sive compositionis quoddam est genus insigne et florens, pictum et expolitum (quod CICERO vocat), in quo omnes, inquit, verborum, omnes sententiarum illigantur lepores, et quod, dum magis voluptati servit, quam veritati, praeceptis illis Stili severioribus non tenetur, sic aliquoties etiam reperitur Actio quaedam, quae ipsius recitandi tantummodo et aurium mulcendarum causa instituatur, quaeque commotior sit et propior ad scenicum recitandi genus accedat, quam gravioris in faciendo, i. e. pronuntiando, Oratoris ratio. Huc referatis v. c., si extra scenam versus quosdam ex hac illave tragoedia declamemus, aut fabulam aliquam Romanensem, metro ligatam, cujusmodi sunt v. c. complures SCHILLERI, GOETHII, BILDERDIJKII aliorumque. Quanto magis hic agentibus nobis Histrionibus esse licebit, quam si aut verba faciemus pro sacris rostris, aut si causam aliquam forensem, aut disceptationem quamdam de republica moderanda pronuntiabimus! Atqui tamen vel in hoc liberaliori (quod sic appellem) et laxiori agendi genere ea fugiamus, quae soli scenae accommo-

2 *

data sint, v. c. fictas effundere lacrymas, in genua procumbere, frontem percutere, pectus ferire, caput furiosi instar rotare, comam evellere, pedibus supplodere, et quae id genus in scenis agantur alia. — Imo, quidquid declamemus et quovis hoc fiat loco, cautio sit nobis, ne, dum animi sensus affectusque vehementiores exprimere velimus, in hujusmodi vultus incidamus distortiones, boantes ejusmodi ejaculemur clamores ululatusque, corporis motus ostentemus tam difformes, quibus infantulis mulierculisque pavor, caeteris vero spectatoribus risus moveatur, quaeque magis ebriosi cujusdam comissatoris, quam sana mente viri esse videantur. Quod si in Histrione, scenae praestigiis circumdato, ludoque tragico circa eum fervente, vix aut ne vix quidem toleretur, in Pronuntiatore, quem ne umbra fere illarum praestigiarum adjuvet, summo jure vituperandum esse, ecquisnam inficias eat?

Haec autem, quae leviter adumbravi, Auditores, satis sint de Eloquentiae exterioris et interioris consensu, quod ad ipsorum, qui dicunt et agunt, personas, quas vocant, attinet. Prolatis hac in parte a

me, non pauca addi possent, nam v. c. nihildum, ne verbum quidem, protuli de Horatiana illa regula: si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi, quae communiter in Auctore vera est et in Actore. Cui consentiens CICERONIS est locus, ajentis: »fieri non posse, ut oderint, ut invideant, ut pertimescant, ut ad fletum misericordiamque deducantur ii, qui audiunt, nisi omnes illi motus in ipso Oratore impressi atque inusti videbuntur."

Quo magis, Auditores, non secus in Pronuntiatione atque in Stilo per nobis placebit quidquid non falsa simulatione effictum, sed ex ipsa natura arreptum, expressum, haustum erit, cum in utroque e diverso ab iis horrebimus rebus, quae non vera animorum inflammatione, uti TULLIUS dixit, existunt, nihilque in se habent, quod imo ex pectore emanatum sit. Pectus est, quod disertos, pectus est idem, quod egregie declamantes facit. Ut quisque maxime commotus erit ipse, ita facillime alios movebit. Ecquid novistis fabulam illam sive historiolam, ab AULO GELLIO nobis servatam de veteri quodam Graeco Histrione, POLO nominato? Qui in tragoedia SOPHOCLIS *Electra*, ELECTRAE personam agens manibusque urnam tenens, qua hujus fratris ORESTIS ossa contineri dicebantur, adeo

voce, vultu, motu, collacrymatione denique miserabilis fuit, ut omnibus omnino spectatoribus fletum excuteret atque singultus. Quid mirum? Infelix iste, aliquot diebus ante, filium morte amiserat carissimum, cujus nunc urnam, ac si ORESTIS reliquiae essent, gestans, ELECTRAEque quasi dolorem referens, suos ipsius tristissimos sensus, suum ipsius acerbissimum luctum exprimebat.

Satis superque audivimus, Auditores, et multorum Rhetorum vocibus pervulgatum est, compositionem sive Orationem, perfecta quae sit, 1) emendatam esse debere seu puram, 2) dilucidam seu planam et perspicuam, 3) atque pulchram denique sive ornatam, qua postrema virtute habilitas, quae dicitur, Stili continetur. Ad Orationis autem munditiem, quod profecto neminem vestrum fugit, postulatur, ut, v. c. leges non infringantur Grammatices, ut vocabulorum servetur integritas, neque haec aliqua sua parte fraudentur, aliis verbis, ne Stilus metaplasmis scateat, qui tantummodo orationi, numeris adstrictae atque devinctae, aut sermonis velocitati familiaris dandi sint; ut nulla locutione insolenter nova, nulla obsoleta, spuria,

hybrida, barbara, id quod scribamus commaculetur; ut vocabula expungamus, a vulgari genere Orationis et a consuetudine communis sensus abhorrentia, et huic illive duntaxat provinciae, vel urbi, vel huic denique soli, qui ea adhibet, propria, atque quae plurima id genus alia sunt. Elocutionis sive Stili promovetur perspicuitas vocabulorum delectu, quae ab unoquoque intelligantur, periodorum structura facili et nusquam perplexa, nexu nervisque et brevitate in iis servandis, ne de pluribus hujuscemodi aliis Stili loquamur dotibus cautionibusque, simulque ut ipsarum taceamus perspicuitatem idearum, cunctae reliquae perspicuitatis fundamentum. Quod Orationis spectat elegantiam, ad hanc nobis opus esse novistis, ut non emendate tantum et dilucide, verum etiam graviter et suaviter scribamus, quam in rem apte cadens et numerosa membrorum in periodis dispositio, lumina, quae dicuntur, verborum et sententiarum, translationum lepores, et innumera alia inserviunt.

Ecce, Auditores, haec trita sunt et sexcenties dicta, sed videatis, quaeso, quam mirifice cuncta haec et singula praecepta etiam in Pronuntiationem quadrent. Minusne enim Actionis, quam Stili illustramentum ducetis, ut sit emendata, dilucida, pulchra?

Nonne aeque pertinet ad Pronuntiationis, atque ad Elocutionis castitatem, nullam ut oleat peregrinam insolentiam, nulla in ea ut resonet rusticitas? Quod enim CICERO in oratione pro ARCHIA narrat, METELLUM PIUM vel exteris Poetis, pingue quoddam sonantibus et peregrinum, aures dedidisse, modo suae ipsius laudes ab illis celebrarentur, cuique profecto non placebit. Quis in Declamatorem stomachosior non erit, qui in Belgicis recitandis versibus non ad pronuntiandi usum, inter cultiores et urbanos patriae incolas receptum, sese conformet, sed dialecto utatur, qua Amstelodami v. c. ancillulae famulive in plateis uti solent? Quis Pronuntiatorem habeat probabilem, vocabula (qua in re, festinationis gratia, in sermone quotidiano et domestico connivetur) curtantem, eaque subinde suis litteris, vel quoque syllabis fraudantem? Quis, inquit TULLIUS, literas putidius exprimi velit, aut verba exiliter exanimata exire, aut inflata et anhelata gravius? Quis obsoletam amet Actionem et barbaram, qui Stilum odio habebit, hisce vitiis inquinatum et turpiter deformem? Neque minus deinde ad perspicuitatem concordant Orationis atque Actionis praecepta. Elocutionis caput sit plane scribere, Pronuntiationis caput est plane

agere, quodque QUINTILIANUS praedicat, non satis esse, ut Scriptor intelligatur, sed efficere eum debere, qui omnino non intelligi nequeat, hoc idem nihilo minoris est momenti in arte pronuntiandi. Et qui pronuntiat curaverit, ut ab omnibus audiatur, ut Pronuntiatio sit distincta, neque nimia volubilitate cuncta confundantur, e contrario, ut, quae efferri debebunt verba, tota ex ore exierint, — quod os planum sive explanatum habere Veteres appellarunt. — Ne tamen idcirco habetote, Auditores, singulas audientibus literas imputandas ac veluti annumerandas esse! Etenim hoc molestum est atque simul odiosum, et pronuntiandi genus affectatum omnemque suavitatem auferens, potissimum quando, ut in vernacula, proh pudor, nimio frequentius quam ut par sit, usurpari solet, hujusmodi separantur atque divelluntur literae, quae coalescere debeant et uno junctoque sono sint pronuntiandae, quales sunt v. c. *ng*, *nk* aliaeque apud nos complures. Quo aureum referatis illud a QUINCTILIANO dictum, significantis, distinguendi virtutem magnum Pronuntiationis esse illustramentum, distinguenda vero ea nobis esse, quae sunt distinguenda.

Haec autem hactenus de perspicuitate et castitate cum Orationis tum Actionis, quas nisi magnas jam fatear esse partes, amens sim, sunt tamen multo majoris etiam momenti aliae. Etenim, Auditores, aperte dicere et emendate approbationes moveat, admirationes, uti CICERO inquit, clamores, plausus nondum movebit. Nae, ut in Oratore tota exhorrescat concio, ut, stupore perculsa, agentem intueatur, ut in iis, quae dicat, exclament omnes, ut Auctorem et Actorem quasi Deum inter homines habeant, ad hoc, in Actione non secus atque in Oratione, pulchritudo, concinnitas, illuminatus dicendi et pronuntiandi modus, brevi ornatus, qui a CICERONE vocatur, requiruntur. Huic autem ornatui naturam suffragari debere voce magna, splendida, facili, beata, clara, crystallina (quam sic vocem) canora, aëra secanti auribusque sedenti, quid est, quod commemoremus? Artis vero erit et disciplinae hisce naturae bonis (quibus caeteri qui sint corporis habitus et motus probabiles addantur) hunc in modum uti, quo in agendo et varietatem assebuamur, et aequalitatem, et habilitatem, quae gravitatem similesque dotes complectitur, quarum utpote virtutum corona Actionem non minus quam Elocutionem illus-

trat. — Varietatem primum volo. Nonne enim, quemadmodum ars variandi Stilum multum lectoribus affert delectamenti, sic ars variandae vocis cum gratiam praebet atque renovat audientium aures, tum dicentem ipsum operae mutatione recreat? Qui vero omnia, uti innuit FABIUS, una spiritus ac soni intentione pronuntiabit, is profecto aut somnum pariet, aut satietatem, ne fastidium dixerim et nauseam. Quorsum etiam spectat, quod praecipit CICERO, ut admiratio nempe et summa laus in dicendo umbram habeat aliquam atque recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. Idemne enim hoc minus proficiet ad facultatem pronuntiandi, quam ad Elocutionem? Quid causae sit, cur negemus? Neque non, testante eodem TULLIO, hoc optime perspexisse visus est hic supra memoratus ROSCIUS, omnium sui temporis artificum *Romae* multo laudatissimus, et ipse ego, *Lutetiae Parisiorum* cum essem, plus semel admiratus fui in TALMA, qui Histrionum Franco-Gallorum facile princeps et erat et habebatur. Ne proinde, uti QUINCTILIANUS significat, omnia aut clamose dicamus, aut intra loquendi modum quotidianum. In primis etiam illud vite-

mus cantandi vitium, quod ingratius dicam an foedius, equidem haud sciverim. Etiamsi enim nulli negamus, (quod et ipse CICERO affirmavit) in Oratione, sive planius ut loquar, in Pronuntiatione, aliquem cantum esse obscuriorem, vigilemus tamen, ne obscurior ille cantus, qui in versibus recitandis tragicis et orationibus gravioribus hic illic aures permulserit, in canticum prorsus deflectat, neve, vel cum in minutis apud tribunalia causis versemur, disputatiunculas nostras voce tam flebili recitemus, ac si lugubres ejulemus naenias sive psalmodias in pompa quapiam funebri. ——

Quamquam igitur, Auditores, uti in Actione, ita in Oratione, varietati magnas tribuimus partes, haec tamen eo usque extendenda non est, ut aequalitatem prorsus negligamus, quae in ipsa illa varia et multiplici, tum scribendi tum agendi ratione, semper dominetur, cujusque ex legibus v. c. Pronuntiatio imparibus sonis atque spatiis subsultare non debet, neque aut tardior esse, aut ocior, quam ut fas sit. Admiramur v. c. in SALLUSTIO, Historico Romano, immortalem Stili velocitatem (sic FABIUS), nimis raptim vero scribere et incisim, sicuti quorumdam recentiorum Franco-

Gallorum est vitium, habet quod lectorem fatiget, praeproperaeque finitimum est satietati. Sic item laudandus nobis erit Pronuntiator, cujus neque nimia tarditas segnitie animos solvat, neque cujus in agendo immodica volubilitas cuncta ita confundat, omnis ut pereat distinctio et gravis affectus. Promtum sit os, inquiebant Veteres, non praeceps, moderatum, non lentum. —

Quod ad suavitatem attinet, Auditores, haec pariter Pronuntiantem illustrat ac Scribentem, imo, ut accuratius loquar, tota propemodum, ex ore exit, tota fere est Pronuntiationis. Longe enim hoc a nobis absit, ut putemus, Oratori satis esse ferire aures easque percutere. Minime gentium! Sunt hae, quarum judicium, uti CICERO docet, superbissimum est, etiam oblectandae et mulcendae. Quamobrem apud Romanos ENNIUS in CETHEGO laudavit, quod suaviloquenti fuisset ore, neque minus in CATULO jucunda celebrabatur litterarum appellatio. Justo equidem titulo! Nonne enim pessima res est, si (quod CICERO in nonnullis suae aetatis oratoribus aegerrime tulit) non loqui, sed canum instar latrare videmur? Attamen quis vestrum simul sibi persuasum non habebit, cautionem nostram esse, ne, dum suaves

esse velimus, affectati fiamus? Nimis frequens, proh pudor, vitium et pervagatum, quo sit aliquid ridiculum magis dicam, an foedius? Equidem multo malim pronuntiandi quamdam rusticitatem vocemque agrestem, dummodo naturalis sit, quam putidas hasce elegantias, falsamque suaviloquentiae imitationem. Hoc autem non tantummodo monitum esse velim de literarum appellandarum easque pronuntiandi ratione, verum de omni vocis et gestuum moderamine. Similiter ac quisque intelligens dicendi existimator Stilum oderit fucatum, mendacibus pictum coloribus, atque a naturali remotum simplicitate, sic idem ille pronuntiandi rationem respuet nauseabundus, e longinquo quaesitam, et ultra quam decet artificiosam. Color, tum in Elocutione, tum in Pronuntiatione, sit genuinus atque sincerus. Ficti candoris vel ruboris medicamenta repellantur; neque Oratio, neque Declamatio decoctam prae se ferant speciem nimisque conditam. Ne igitur in voce susurrum muliebrem, aut mollitiem aucupemur effeminatam, ne vultuosi simus, ne in gestibus digitorum persequamur argutias, ita ut, quae dicamus, semper manu quasi in aëre depingere, et, Saltatorum sive Pantomimorum instar, digitis omnia exprimere velimus. Verbo,

ut quae supra dixi repetam, naturae, arte tantummodo subactae atque politae, semper convenienter et congruenter agamus!

Magno porro opere ad Pronuntiationis sive Actionis facit pulcritudinem, ut, dum subinde variat, hac in sua varietate ad Stili sit apta speciem, cui accommodetur, id est: ut nunc propemodum intra domestici sermonis limites consistat, nunc caput in altum extollens, tonet, fulminet, tempestatisque veluti cursu atque sonitu feratur. Quod cum hic memoramus, eo ipso ducimur ad tripartitam illam, Veteribusque celebratissimam Stili, sive dicendi generum divisionem, secundum quam Oratio iis est aut simplex sive tenuis, humilis, subtilis — aut ampla, copiosa, gravis, sublimis — aut inter haec duo extrema haesitans, media, mediocris, sive temperata. Tenetis autem omnes, Auditores, quam egregie diversorum horum generum indolem descripserint, ne dicam depinxerint, Veteres, CICERO in primis et QUINCTILIANUS. — Quotus enim quisque vestrum ignorat, Stilum, quem tenuem diximus, a CICERONE nonnullis comparari mulieribus, inornatis his quidem, neque margaritis et calamistratis capillis glo-

riantibus, sed in quibus ipsa illa ornatus absentia, modo elegantia remanserit et mundities, habet aliquid quod delectet, quod deceat, quod incompta placeat venustate? QUINCTILIANUS autem, uti novistis, grande, grave, sive vehemens et sublime dicendi genus amnem appellat, qui saxa devolvat, qui pontem indignetur, qui ripas sibi ipse faciat, qui multus et torrens omnes, vel contra nitentes, feret cogetque ire, qua rapiat. — Quod denique ad temperatum attinet Orationis sive dicendi genus, illud, ut Veteres declarabant, quoddam est interjectum, intermedium, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens priorum, ita ut, cum amborum sit vicinum, utriusque sit particeps, et uno, qui dicitur, tenore in dicendo fluat. Haec autem Veteribus usitatissima partitio, cum tribus Oratoris officiis cohaerens, ut persuadeat nempe, ut delectet, ut flectat, in ipsius Eloquentiae natura fundamentum habet et ad hunc usque diem variis dicendi generibus applicari potest. Etiamsi enim complures aliae a Rhetoribus enumerantur Stili divisiones, ex quibus est vel aridus sive siccus, vel floridus, vel fervidus, vel concitatus, vel periodicus, vel incisus, vel jocosus etc. hae omnes tamen species in triplicem illam partitionem, tan-

quam aliquot rivuli in unum ejusdemque fluminis alveum sese exonerant, aut non nisi trium quasi colorum principalium adumbrationes vocandae sunt.

Videatis autem, velim, Auditores, qui mirus hic regnet consensus Pronuntiationem inter et Elocutionem! Num quid enim omnem Pronuntiationem sive Actionem, imo, si eam per se et ab Oratione separatam consideremus, eandem non summo jure tripartitam dixeritis, ita ut in universum heic sit summissa atque tenuis, illic vehemens gravisque, alio loco inter has ambas interjacens, mediocris et temperata? Quae enim plura ab his delapsa sunt genera, lene, asperum, contractum, diffusum, continente spiritu, intermissum, fractum, scissum, flexo sono attenuatum, inflatum, similiaque, quae a CICERONE enumerantur, haec tria illa tantum quodammodo variant. Verum enim vero, ut ad Actionis, quae dicitur, habilitatem, de qua nobis sermo esset, redeamus, ecquis non videt, quanti intersit boni Pronuntiatoris ante inquirere, quam declamet, ad quodnam trium horum generum Actio in hac illave Oratione ejusque partibus pronuntiandis referenda esse videatur? Etenim hoc propemodum *Inventionem* appellaverim et *Dispositionem* in arte pronuntiandi, neque hac non in re Musici

nobis imitandi sunt, qui libellis musicis inscribere solent, quos numeros et modos, vel flebiles, vel laetos, vel graves, vel jocosos, vel lenes, vel concitatos, vel complures alios, aut in canendo observare debeant, aut in fidibus tractandis; quod vocabulis, ex Italorum lingua desumtis, cujusmodi sunt *adagio*, *allegro maestoso* caeteraque similia, significare ipsis mos est. Non secus enim Orator ad marginem hujus illiusve orationis vel carminis, aut quas habent partium, idem sibi annotet, quid submissius, quid fortius, quid gravius, quid levius, quid severius, quid hilarius, quid negligentius et incomptius, quid ornatius denique et elegantius sit pronuntiandum. In quibus omnibus autem anquirendis, Auditores, quaecunque Actio (ut terque quaterque hoc moneam) ad naturam revocanda est. Nimirum, cum ex gr. aliquam CICERONIS orationem, aut (ut ad leviora, nec tamen eo faciliora descendamus) quampiam narratiunculam, hanc illamve fabulam Milesiam sive Romanensem, quam vocant, poeticis numeris vinctam, et in qua plures inducuntur homines loquentes, recitare volumus, nosmet ipsi nobis rogandi sumus; qua ratione CICERO hanc orationem pronuntiasset, quomodo in vita communi; ubi revera res, qualis in

illa narratur historiola, accidisset, nos hanc cum aliis communicaremus, quaenam verba homines illi ficti ederent, quibus uterentur vocibus, quo vultu, quibus gestibus. In hoc, a natura, ut ita dicam, posito nobis fundamento, artis nostrae aedificium deinde exstruendum est, atque ita, ut naturam, non crasse, non crude, sed ad pulchritudinis cum veritate conjunctae normam, imitantes, illam modo intra arctiores coerceamus limites eamque non nihil quasi attenuemus, modo ultra suos fines extendamus, augeamus, amplificemus; — quid quaeritis? ut e natura non quodlibet sumentes, hoc tantum, quod in ea pulchrum habeatur, Actione nostra effingere conemur, cunctaque, quae declamemus, ad pulchritudinis illam mortalium animis insitam speciem et quasi ultimam formam, uti CICERO ait, redigamus. Quibus observatis, neque veritate carebimus, neque ab altera parte ultra quam satis est et contra hoc quod decet naturales erimus. Etenim, ut posterius illud aliquanto magis illustrem, sic v. c. non flebimus, quando alium flere, non humi procumbemus, quando alium humi procumbere narramus, non tenui mulieris utemur voce et exili, quia verba pronuntiamus, quae ex feminino ore exire censeantur. Num quis enim narrator sermone

familiari illud faciet, et quotus rei quisque peritus est, quin sentiat, quam rectissime QUINCTILIANUS praeceperit, ut tremula voce et effeminata senem vel mulierculam imitari non debeamus, aut in describendo alicujus supplicio vocem eruere, qualis dolore extorqueri solet. Isthuc vix Histrioni, nedum Declamatori, multo severioribus adstricto legibus, permiserim. Quare haud minus vel eum satis ridiculum habuerim, qui in praelegenda Tragoedia fauces strangulet, quo pro diversis, qui loquantur, fabulae actoribus, variam atque diversam omnino adhibeat vocem. Hoccine enim unquam fiat, nisi repugnante natura, et nonne illud magis cujusquam scurrilis ventriloqui, quam honesti Declamatoris esse videatur? In diversis tantum (ut praeter propositum hoc attingam) indicandis fabulae actoribus varietatem aliquam, quod ad quantitatem, rarius, quod ad qualitatem attineat vocis, adhibitam velim; quapropter ex gr. in pulcherrimis, quos paulo ante ex VIRGILIO recitavi, versibus de ORPHEO et EURYDICE, infelicissimae conjugis lamentationes gemitusque: *Illa, quis et me etc,* debiliori vocis sono pronuntiandae mihi videntur et languidiori, quam si qua essent, quae ORPHEUS ipse effudisset.

Sed quo nos aufert, Auditores, digressionum faciendarum pruritus? Vela contrahamus, neque longius a portu aberrantes, ad tripartitam Orationis unaque Actionis divisionem redeamus! Nemo quisquam igitur non intelligat, quam valde illud, quod CICERO declaravit, eum vere Eloquentem praedicandum esse, eum omne tulisse punctum, qui *et* humilia subtiliter, *et* magna graviter, *et* mediocria temperate posset dicere, i. e. scribere, quam valde, inquam, hoc effatum etiam Pronuntiatorem attingat, cujus summa laus haec sit, ut nunc tenuis et simplex, nunc elatus et grandis, recitet, nunc inter haec duo extrema gradum sistens, medium occupet locum, quique prius semper, quam ad recitandum procedat, secum reputet, quos, ut sic dicam, pronuntiandi modos numerosque adhibere debeat. Ponamus v. c., ipsi recitandum esse fervidissimum illum CICERONIS locum e *Verrinis*, ubi GAVII, civis Romani, nefandum, describitur supplicium, nonne hic, ut Actio Stilo consentiat, admodum grave et vehemens fulminibusque, quemadmodum ARISTOPHANES dixit, simile pronuntiandi genus desiderabitis? Certe, in hoc CICERONIS loco, uti indignationis, commiserationis atque horroris plenissimus est, a verbis »*ardebant ejus oculi*, *toto ex*

ore crudelitas eminebat" cum crescente Orationis impetu, crescat una impetus et tanquam furor Actionis, donec ad culmen pervenerit in climace sive gradatione illa notissima: »*facinus est vinciri civem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari, quid dicam, in crucem tollere.*" A quo declamandi genere grandi et robusto, non longo intervallo distet illud, quo utamur, pronuntiaturi Orationem TULLII pro MILONE, in Epilogo cum primis, ubi summus ille inter Romanos dicendi artifex MILONIS e patria futurum depingit discessum, seque a lacrymis vix temperare potest. Heic modo vehemens, modo flebilis et miserabilis adhibeatur pronuntiandi ratio. Sed sexcentos alios ejusmodi locos ex CICERONIS Orationibus adduxerim, quibus omnibus ad sublimitatem enitatur Declamatio, et, perinde atque ULYXIS facundia, quam cecinit HOMERUS, tum copia, tum impetu nivibus hibernis par esse videatur. Quod (ut ex Poesis pomoeriis aliquid exempli proferam) non minus nobis cordi sit, recitantibus has illasve HORATII Odas, v. c. sublime illud et grande NEREI vaticinium de excidio *Trojae*, ubi in PARIDEM, HELENAE raptorem, sic invehitur:

Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite etc.

praesertim in versibus, cujusmodi sunt sequentes:

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor, quanta moves funera Dardanae
Genti! Jam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Et aliquanto post:

Ecce, furit te reperire atrox
TYDEIDES, melior patre!
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu etc.

aut paulo ante:

Tamen, heu, serus adulteros
Crines pulvere collines!

cui praeclaro addatis carmini, Auditores, Oden, magna sonantem in PINDARUM:

Pindarum quisquis studet aemulari etc.

in qua comparatio illa sublimis:

Monte decurrens, velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
PINDARUS ore.

aut in alia HORATII Oda Apostrophen ad Romanos:

Quoquo scelesti ruitis? Aut cur dextris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?

et deinceps:

Furorne caecus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date!
Tacent et ora pallor albus inficit
Mentesque perculsae stupent.

compluresque alias. —— Is vero Declamator mihi demens videatur, qui, buccas inflans, iisdem plenis, ut ajunt, tibiis, eodem pronuntiandi impetu atque veluti sonitu uti velit, recitans FLACCI ad LICINIUM Odam, mediocritatis laudes extollentis:

Rectius vives, LICINI, neque altum
Semper urgendo, neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum etc.

quae, ut temperatiori Stilo scripta est, ita temperatum agendi genus desiderare videtur; pariter ac plurima in CICERONIS Oratione pro MARCELLO, v. c. ubi bellicae CAESARIS laudes hujusque clementia inter se comparantur, licet et illic tamen non-

nulla inveniantur, quae in sublime dicendi genus tendant. Exordium contra Orationis pro ARCHIA: » *Si quid est in me ingenii, Judices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis atque disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse, earum rerum omnium vel in primis hic* A. LICINIUS *fructum a me repetere prope suo jure debet*, nonne hoc summisse, tenuiter, exiliter, subtiliter, dubitanter atque haesitanter pronuntiari debet, quo Actio, aeque ac Stilus ipse, rivuli instar fluat, leniter murmurantis, atque nusquam suas undulas ambitiosius agitantis? Quis enim hic vocem tonantem, quis expansorum gestuum vel impetum ferat, vel majestatem? Nemone non unus heic Actionem non abominetur, procellae quasi cursu atque fragore proruentem? — Pleraque generalius Exordia, ut Sermonis, sic etiam Declamationis tenuitatem amaverint. Quod dum monemus, Auditores, oratio nostra sponte eo delabitur, ut paucis delibemus consensum, qui regnat et regnet Stilum inter et Actionem, ad diversas orationum quod attinet partes. Vos omnes e Rhetorum

ludis acceperitis, quamcunque Orationem in quatuor praecipuas divisam esse partes, quae *Exordii* (cui argumenti propositio subjiciatur), *Narrationis*, sive ut in universo dicam, rerum expositionis, *Probationis* (quae et *confirmationem* continet et *refutationem*,) atque postremo *Conclusionis* seu *Perorationis* sive *Epilogi* appellationibus insigniuntur. Neque minus bene profecto tenetis, singulis hisce partibus suum in genere peculiarem Stilum esse dandum, suam, a caeteris sejunctam, eloquendi rationem, suum, ut sic dicam, non unum colorem, ita ut alio atque alio modo v. c. in initiis scribamus, quam in conclusionibus, aliter, cum narramus, aliter cum nobis aliquid probandum est. Sed quid hic millies dicta repetam? Significare tantum volo, iisdem fere praeceptis, quibus hic Compositionis differentiae reguntur, etiam teneri Actionem. Sic, ut uno alterove exemplo rem explanem, cautionem adhibendam nobis esse docent Magistri, ne in Exordiis sive Prooemiis statim nimis exsurgat Oratio, statim immodico ne feratur impetu, torrentisque instar sese praecipitet; quae e contrario lenis prolabi debeat, et tenuis esse, et modesta atque placida, quo facilius se in legentium animos, (cereos adhuc in quamcunque partem

flecti) insinuet in eorumque irrepat sensus atque penetret. »Qui enim (inquit CICERO) non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur."

Nonne vero hoc pariter observet necesse est Pronuntiator, qui idem, incipiens, modestia sese commendet vultus, voceque temperata et submissiore aliquanto, uti gestu rariori et placidiori, atque laterum leni tantummodo in utramque partem motu? Nonne haec omnia facient ad Auditores, jam a limine orationis, nobis conciliandos? Fingatis enim vobis Oratorem Ecclesiasticum, ejusmodi scilicet, qui, postquam citato gressu in suggestum convolaverit, sine ulla verecundia ilico os ostentet, grandia sonaturum, repente maximam effundat vocem, caputque insanientis instar rotans, brachia vehementer dextrorsum et sinistrorsum jactet, agitet quasique projiciat, pulpitum manibus pulset, ululetque mugiatque, ac si BRIDAINIUS sit redivivus, Franco-Gallorum vetus quidam sacer Concionator, damnatorum in Tartari flammis tormenta cruciatusque vividis depingens coloribus! Numquidnam putatis, hominem istum reverentiam, an vero cachinnos apud hos, qui

audiunt, bonaque satis sunt praediti mente, excitaturum esse? — Sic in vestibulis, qui CICERONI dicuntur, Orationum prae aliis rebus etiam curae habeamus, ne statim quid Stili a nobis committatur vitium, v. c. mendum quidquam Grammatices, insolens verbum, aut audacius translatum, ab obsoletaque vetustate vel poetica licentia sumtum, quae omnia eo severius ab Auditoribus carptum iri verosimile est, quo minus horum benevolentiam sibi jam conciliare potuerit Orator. Quare QUINCTILIANUS tam recte quam lepide dixit: »Vitiosum prooemium videri posse cicatricosam faciem, et pessimum certe gubernatorem, qui navem, dum portum egreditur, impegit." — Haeccine autem cautio minus efficacitatis habebit ad Pronuntiationem, quam ad Stilum? Autne non ii, qui audiunt quorumque aures in orationum principiis sese eo alacrius et vigilantius etiam arrigunt, iidem aeque erunt attenti ad menda Actionis expiscanda verbisque castiganda, atque ea notabunt vitia, quae sunt Compositionis? —

Quod ad Narrationem, quae a Rhetoribus vocitatur, attinet, sive ut generalius dicam, quod pertinet ad totius, quod tractatur, argumenti expositionem et explanationem (quo referatur v. c. in

Oratione sacra contextus explicatio) hic jam velocior procurrat Stilus et contractior, quasique hilarior vividiorque; paulisper semoveantur longiores periodi, sive longi circuitus conglutinationesque (sic CICERO) verborum, quae Exordiorum tranquillitati conveniant, praevaleatque incisa magis dicendi ratio, utpote Narrationis perspicuitati promovendae accommodatior. En, Auditores, nonne ad omnes has praescriptiones etiam conformare sese debet Actio? Nonne jam vox usurpanda est ocior, hilarior, simplicior, sermoni quotidiano et domestico fere proxima, ut ut paulo tantum acrior et significantior? Nonne manus minus prolata, gestus curtatus veluti, brevis, distinctus, agilis aliquantum et velox? Quisquamne neget? Atque adeo, uti in principiis orationum Declamatio non dissimilis sit flumini, lentioribus expansisque magis undis labenti, in Narratione hic illic imaginem potius referat amnis, citatiori cursu et non veluti nunquam, objectu lapillorum, trepidante prosilientis fluctu.

Ad tertiam quod spectat orationis partem, Probationem nempe, quae in confirmando constat et infirmando, ubique imprimis persuadendi officio fungatur Orator, hic Stilus nervos suos habeat et aculeos, densior sit, pressior, intensior, instan-

tior, vim exhibens et celeritatem! Quibuscum virtutibus concordare Actionem debere, Auditores, facile videbitis; quae Actio perinde sit multiplex, varia, in egressionibus tamen nonnunquam lenis, dulcis, ac remissa, mox vero velox, pressa vivida, mascula, pugnam quasi interdum spirans et bellicum quid sonans; ut paucis dicam, non alia quam in vita communi adhibere nos solemus, qui acriter aliquid vel defendere vel refutare conemur, aut qui animose dissentientibus studeamus obloqui.

In Peroratione denique sive Epilogò, neminem, vel mediocriter gnarum, latuerit, quanta saepe desideretur Orationis tum gravitas, tum vis et sublimitas? Hic imprimis enim, uti CICERO dixit, regnat Orator, saltem in dicendi genere, quod *deliberativum* vocant et *judiciale*, cui apud Recentiores prae caeteris concionem sacram adjungatis. Hic populus excitandus, hic in causis, gravioribus quidem certe, judices accendendi, hic auditores commovendi, flectendi, Oratoris aestu proripiendi sunt; hic, uti Prisci dicebant, quasi faces admoveantur eorum animis atque affectibus, cum flebilibus, qui nuncupantur, tum concitatis. Qui, ut cieantur, affectus, quemadmodum magnam Orationis varietatem exigunt, hi non minus variam, multi-

plicem, nervosam, grandisonam crebro, et prope tragicam pronuntiandi sibi vindicant rationem. Neque enim non in promtu est, Auditores, aliud, uti CICERO significat, vocis motuumque genus a miseratione atque moerore, aliud a metu, aliud a vi, aliud a voluptate, a molestia aliud, aliud ab iracundia sibi sumi debere, ita ut v. c. in iracundia acuti, incitati, crebro incidentes, in metu demissi et haesitantes, in vi vehementes, contenti, imminentes veluti quadam incitatione gravitatis, in molestia sine commiseratione graves et uno pressu ac sono obducti, in miseratione ac moerore flexibiles, pleni interruptique flebili voce simus. Quae omnia, quam praeclare a Priscis exposita sint, quis, qui aliquid sciat, nesciverit? Et quisnam simul non cernit, illud, quod DEMOSTHENES in laudes dixit Eloquentiae Exterioris, vel potissimum de his rebus valere? Utinam, Auditores, hunc ipsum audire potuissemus, per manes eorum, qui apud Marathonem et Plateas, fortiter pro patria dimicantes, vitam profudissent, jurantem, aut Jovem Deosque superiores grandi voce obtestantem, aut in AESCHINEM, famae ipsius detractatorem, turbinis instar, impetum facientem! AESCHINEM loquor, qui ipse, ut ut DEMOSTHENI infestissimus, cum suavis-

sima et maxima voce hujus orationem pro CTESIPHONTE legisset, admirantibus eam Rhodiis respondisse fertur: »quanto magis admiraremini, si audissetis ipsum!" Et CICERO, Auditores.... O, quam vellem praesentes ejusque in conspectu fuissemus, Eloquentiae fulmina in CATILINAM, in ANTONIUM, in omnium scelerum illam sentinam, VERREM jaculantis, aut MILONEM summa animi vocisque contentione defendentis, atque, cum dolore se deficere sentiret, haec verba miserabiliter emittentis: »sed finis sit, neque enim prae lacrymis loqui jam possum." Quibus admirationibus principum illorum Oratorum prosecuti essemus Actionem; Actionem, inquam, praeclaram illam, in auribus sedentem easque percellentem; Actionem illam, imum in pectus penetrantem, mirificis soni intentionibus, inclinationibus, remissionibus, flebili, qua animi frangantur, suavitate, pectora illa modo instigantem et accendentem, modo lenientem atque mulcentem, modo exprobrantem, irridentem, conturbantem!

Quae autem hic dixi, Auditores, de accommodanda Pronuntiatione et Actione ad quatuor principales orationum partes, quibus aut delectet, aut persuadeat, aut flectat Orator, ex-

tendantur tum ad universas, quae tractantur, causas materiasque, tum ad sententias et singula verba. De causis, sive potius de quocunque argumento, quod oratione persequamur, de diversisque Oratorum generibus hic supra jam vidimus, neque refert, ut quae de Actione, cum singulis sententiis et verbis ad amussim congruente, dicenda nobis essent, fusius exponamus. Quid enim vos hac in re diutius morer, cui nullum sit dubium, quin ex jam dictis vobis affatim sit perspicua? Suffecerit (quod v. c. ad verba attinet) QUINCTILIANUM citasse, significantem, eadem verba, mutata pronuntiatione, indicare, affirmare, exprobrare, negare, mirari, indignari, interrogare, irridere, elevare. Et quemadmodum in Stilo quodvis verbum neque majorem, neque minorem significandi vim habere debet, quam res ipsa, quae hoc vocabulo indicatur, sic pronuntiandi cujusque verbi ratio eadem regula metienda est, nec, ut sic dicam, huic illive vocabulo plus appendatur ponderis, quam illud ferre possit. Attamen simul observare non praetermiserim, quam perperam illi agant, qui in omnia omnino verba, quae sibi aliquanto extantiora videantur, voce incumbere velint, iisque instare et in iis quasi requiescere; qua nimia

singula quaeque distinguendi libidine distinctio et effectus generaliores facile peribunt. Quid? Et hic suam partem obtinet, Auditores, praeceptum, quod supra ad CICERONEM conformavimus, ut Pronuntiationi, non minus quam Stilo, sua sit umbra atque recessus, quo magis quae illuminantur in lucem prodeant.

Hactenus a me monitis, Auditores, de consensu Eloquentiam corporis inter, et Eloquentiam interiorem, non pauca, quae adderentur, haberem, nisi si temporis angustiae intra suos fines circumscribi sermonem juberent. Sic v. c. nonnulla alioquin mihi forent observanda de versibus, sive de oratione ligata, alio modo cum conscribendis, tum pronuntiandis, quam ea et componamus et recitemus, quae poeticis numeris exemta sunt, i. e., quae Prosa sive soluta Oratione traduntur. Qua forsitan occasione hos leviter perstringerem, qui, nulla omnino metri versuumque habita ratione, omnem operam navant, ut, quos recitent, versus, non Versae, sed Prosae simillimi esse videantur; ita ut ejusmodi hominibus, carmen quoddam recitantibus, non raro per quartam horae partem adesse ante possitis, quam vobis compertum sit,

utrum versus audiatis necne. Quod mecum, ut spero, ingratius reputabitis atque durius. Cui bono enim Metrum, cui bono, quod compedibus illis vinculisque Poetica Oratio ligetur et adstricta sit, si utriusque hujus rei in recitando nullum appareat vestigium, nulla resonet harmonia? Nonne qui hoc peccant vitio, ii canoram illam suavitatem atque dulcedinem, quam ars metrica Poesi afferat, radicitus exstirpare videntur? Nonne hos eos aequiparare dixeritis Musicos, qui in canendo aut in organis tractandis modos observant nullos, sive qui canticum, ut inquit TERENTIUS, nullis modis temperant? Quae tamen ne ita interpretamini, Auditores, ac si versus fere cantari velim, quod, uti hic supra jam indicavi, taediosiusne dicam, an molestius? Media in hac re carpenda nobis est via, nec unquam e memoria nobis excidat proverbium:

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

Quantam dicendi materiam porro mihi non suppeditet locus de Ironia, sive de convenientia Eloquentiae exterioris et interioris, si ad Ironiam, quae dicitur, in eloquendo atque pronuntiando attendamus! Uterque enim, seu qui orationem scri-

bit, seu qui pronuntiat orationem, curam gerat, ne quae ironice dicuntur, habeantur pro serio dictis, quam ad rem evitandam tamen plerumque minus fortasse valuerit prior, quam posterior. In Ironia enim non rarius sola Pronuntiatio effectrix est, ut ita dicam, veritatis, in primis, quando quae ironice sunt emissa, hisce salibus leviter tantum aspersa sunt. Quod mihi causae esse videtur, cur hi illive CICERONIS loci perperam aliquando intellecti sint a viris doctis, in seriis ponentibus, quae per jocum essent prolata. Qui viri eruditi certe hoc non fecissent, si CICERONEM audivissent ipsum, verba illa vultu subridenti voceque leniter exsibilanti pronuntiantem. Huc v. c. referatis non pauca ex oratione pro LIGARIO, quae jam a limine multum ironiae continet, ita ut vel hujus vestigia deprehendantur in primis Exordii verbis: *Novum etc.* Et sic in multis aliis TULLII orationibus urbanam illam dissimulationem non frustra desideraveritis. Urbanam, inquam, dissimulationem. Hac ratione CICERO vocem εἰρωνείαν Latine reddidit. In quibusvis praeterea caeteris ridiculorum, salse dictorum, facetiarum, dicacitatis, ambiguorum, leporum, et quae hujusmodi plura sint generibus » quibus animi laxentur et paulisper a severitate ad hilaritatem traducan-

tur," regnat CICERO atque dominatur. Nec mirum igitur, QUINCTILIANUM, cum comparationem illam notissimam Graecas inter Romanasque institueret literas et disciplinas, exsultantem ovasse: salibus vincimus; his verbis significare gestientem: nostras, o Graeculi, Orator CICERO lepidior est atque salsior, quam Oratorum vestratium Coryphaeus DEMOSTHENES! Quam tamen FABII, ut fere dixerim, jactantiam a vobis ita intellectam nolim, Auditores, quasi vero summus ille DEMOSTHENES jocorum et ironiae omnium omnino expers fuisset. Cujus rei contrarium satis luculenter probatur lepidissima illa fabella de asino quodam hujusque umbra, qua historiola DEMOSTHENES cum Judices, ad ea, quae dicebat, parum attentos, salse perstrinxit, tum attentiores eos reddidit. Haud pauci insuper loci in DEMOSTHENIS orationibus acerrimam spirant irrisionem atque cavillationem, v. c. locus ille classicus, quo ironice Athenienses insectatur, otiosos hic illic discurrentes curiososque fatuosque inter se quaeritantes, quid novi esset. Ac si, scilicet, respondit mordax DEMOSTHENES, non affatim rei esset novae, Macedonem quemdam Regem cunctae Graeciae servitudinem parare et exitium! Neque porro, Auditores, ipse CICERO in omnibus suis jocis semper non

insulsior fuit. Imo vero, ipse ille, qui in fastigio stetit eloquentiae apud Romanos, ipse ille CICERO habet, qui frigidiuscule dicti videantur; v. c. ubi ludit iterumque ludit in ambigua significatione vocabuli VERRIS, quod et porcum sive suem denotat, et Praetoris istius tam sceleratissimi nomen erat, in quem summus Romanorum orator, ira exaestuans atque indignatione, dicendi flumen atque adeo torrentem identidem effunderet.

Ast, quo excurrimus, Auditores? Ut ex aviis in semitam nobis calcandam redeamus, haud pauca insuper, si ruentem propter horam id mihi liceret, profecto essent, quae monerem, de praecepto illo, non minoris in Actione, quam in Oratione, ponderis, ne unquam animi nostri fervore atque aestu ultra τον pulchri et decori limites nos abripi patiamur, neque, dum habenas, quas sic dicam, mentis nostrae affectibus immittamus atque sensibus, qui nos legunt vel audiunt, iis nos exhibeamus ridiculos. Caput in eloquentia est decere quod facis, inquit QUINCTILIANUS. Quam ad rem, hic supra aliquantulum jam a me notatam, egregia sunt, quae SHAKESPEARIUS praecipit, dum ait: » omnia sedate facito, atque in ipsis affectuum fluctibus procellisque eam semper moderationem servato, qua animi illi sensus leniantur et mitigentur!"

Poeta autem ille laudibus cumulatissimus praeceptum hoc Actoribus sive Histrionibus inculcat tragicis, nihil periclitamur vero, quo minus idem illud quibuscunque caeteris, tum Scriptoribus, tum Actoribus, i. e. universae, qua interiori, qua exteriori Eloquentiae, applicemus, imo vero, quin illud dignum judicemus, quod per totum liberaliorum artium atque disciplinarum regnum norma habeatur palmaria, et lex, ut vulgo ajunt, fundamentalis. Namque illa regula, latius explicata, huc redit: neve in scribendo, neve in pronuntiando, neve in pingendo, neu in sculpendo, neu in quacunque alia re imitanda et exprimenda, verior esto, nec uberior et redundantior, nec magis, quod sic dicam, naturalis, quam ex pulchritudinis legibus par esse videatur et decentiae congruat! Quod utinam praeceptum a Poetis aliisque recentioris aevi artificibus, nimis saepenumero, proh pudor, extra ripas, ut dicitur, diffluentibus, semper ita fuisset observatum, atque Vetustatis tum Poetas, tum Sculptores et Pictores, illud perpetuo fere observasse, haud difficulter crediderim!

Porro, tempus id si sivisset, mihi quaedam adumbranda fuissent de Oratione et Actione, in hoc non discrepantibus, quod ambae saepe aliae

sunt apud alios populos. Suam quisque populus diversam fere scribendi, suam idem ille diversam pronuntiandi et recitandi consectatur rationem. Aliter atque aliter v. c. in universum eloquuntur et agunt, i. e. pronuntiant sive declamant, Galli, Germani, Angli, Batavi et quotquot caeteri sint Europae populi. Toto coelo ad Stilum et Actionem distant inter se quae Orientis et quae Occidentis plagas inhabitant gentes. Quamobrem quae apud unum alterumve populum Stili et Elocutionis dantur praecepta, singula quaeque non eadem viguerint auctoritate apud omnes caeteros. Sic nonnulla, quae QUINCTILIANUS de agendi et pronuntiandi ratione coram judicibus, Romanos docuit Causidicos, a nostratibus Batavis hominibus, qui in causis versantur, observari nefas sit. Pedum v. c. supplosio, neque a QUINCTILIANO, neque a CICERONE in eo, qui pro tribunalibus verba facit, Oratore valde improbatur. Ecquemnam causarum Patronum Batavum, humum pedibus pulsantem, non explodatis? Aut Batavo Patrono licitumne erit (quod *Romae* nequaquam insolitum) clientum cognatorumque, quos hi habeant, pictas circumferre imagines, quibus, quo nescio, modo, judices aut propitii fiant, aut ad misericordiam commoveantur; quaeque id ostentati-

onis et artificiorum genus non pauca a QUINCTILIANO enumerentur alia. En! nonne hic Belgici proverbii vobis in mentem venit, Auditores: suus cuique regioni mos, suus cuique regioni honos?

Haec omnia et plura alia, Auditores, mihi attingenda forent, si dicendi telam de convenientia Eloquentiae exterioris interiorisque pertexere vellem. Plura alia, inquam. Quo pertinet v. c. praeceptum, ut numerus quidam adsit in Oratione, quod praeceptum nonne et in Pronuntiatione valeat? Quo pertinet porro CICERONIS monitum, maximis voluptatibus finitimum esse fastidium, quaeque sine interruptione sensum moveant, ea difficillime effugere satietatem. Quod effatum si in Stilo, qui potius rerum pondere, quam sententiolis et flosculis placere debeat, verum est, aeque est verissimum in Pronuntiatione. — Quo referatis etiam inquisitionem in causas, tantus cur regnet Orationem inter et Actionem consensus, ad quam quaestionem non difficulter ejusdem TULLII responderi posse crediderim verbis, ubi dicit: »omnis enim motus animi suum quemdam a natura habet vultum et sensus et gestus, totiusque corpus hominis et ejus omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsa." — Neque praeterea huc non spectat praescriptio, ut

praeclarus Pronuntiator, haud minus quam probabilis Scriptor, vir bonus esse debeat, et...... Mene vero haec cuncta dicendo persequi, in argumentique viscera sic penetrare quasi velle, Auditores? Egone ut tam impudenter patientia vestra abutar? Adeone me immemorem esse dicti, tam vere quam lepide, ab Auctore quodam Franco-Gallico: singula et unaquaeque dicere voluisse taedii creandi arcanum (*). Imo,

(*) *Le secret d'ennuyer, c'est celui de tout dire.*

Quae verba porro supra, pag. 4, usurpavi »propter Collegae conjunctissimi obitum" ea intelligantur de obitu Viri Cl., de literisque meritissimi JANI TEN BRINK, Jur. Utr. Doct. in Facult. Philos. theor. et Liter. hum. in nostra Academia Groningana Professoris Ordinarii, qui, proh dolor, paucis diebus ante, quam hancce Orationem haberem, eo abiit, unde negant redire quemquam, cujusque laudatorem qualemcunque parentalem paucis agere in me suscepi, cum fata enarrarem, quae Universitati acciderunt nostrae. Inserentur, uti in praefatione monui, Academiarum Annalibus, hoc de tristissimo funere aliisque de eventibus, qua moestis, qua laetioribus, verba, tunc temporis a me facta; quare in hac re hicce loci subsistere mihi liceat.

Caeterum, quae tum ex CICERONIS libris *de Oratore*, ex ejusque Orationibus pro MILONE, pro ARCHIA, in VERREM, pro LIGARIO, aliis, tum ex QUINCTILIANI *Institutionibus Oratoriis*, tum ex VIRGILII *Georgicis*, (Lib. IV.) ex HORATII Carminibus, (Lib. I. Od. 5. Lib. IV. Od. 2. Epod. Od. VII. Lib. II. Od. 10.) etc. etc., aut verba adduxi, aut effata et sententias, aut denique totos continuosque versus, satius nota esse credam, quam ut ad calcem hujus Orationis sigillatim capita, paragraphos etc. indicare necesse mihi videatur, quibus inveniuntur. —

Locus ex SHAKESPEARIO, pag. 54 Latine a me redditus, occurrit in hujus Poetae inclytissimi Tragoedia *Hamlet* (Act. III. Sc. II.) — Quae autem pag. 19 dixi, qua ratione fabulas Romanenses, quas vocant, metro ligatas, quales sunt complures SCHILLERI, BILDERDIJKII, TOLLENSII aliorumque, nonnunquam pronuntiandas esse existimaverim, ea ad *De-*

hoc longe a me absit! Levi tantum penicillo nonnulla, qualia et quantula essent cunque, adumbrare volui, et quae hanc in rem protulerim non est, quod ulterius urgeam. Vos ipsi picturam, cujus equidem, ut sic dicam, extrema duntaxat dederim lineamenta, elaborare et tanquam elucubrare velitis! Finis sit hujus orationis! Jam ad fata Academiae enarranda transeo. Ante vero, quam eo progrediar, Musica vobis aures, mihi vocem animamque paulisper reficiat renovaritque!



---

clamatoria, uti vulgo nuncupantur, spectant, cujusmodi, Musica comitante, sive sociantibus se cum Pronuntiatione, (aut potius alternis cum ea facientibus) instrumentis musicis, non unum et ipse ego *Groningae* habui, in quibusque tales fictas historiolas, laudato declamandi modo minus severiori, pro virium tenuitate recitare conatus sum. Scilicet, non sine adhibitis tamen, quas eadem pagina percensui, cautionibus provisionibusque. —

